



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Erotemata Ecclesiastica

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Cap. LXXXV. De Stipulatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94604](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94604)

Erotem. Eccles. Cap. LXXXV. De Stipulatione. 1 2 3

cum reperiam, non esse verum, semper datur repetitio: DD. in d. l. 1.

Quartò, quod est indebitum ope exceptionis; ut si verè ego sim tuus debitor, sed habeam aliquam exceptionem, qua possum me tueri, ne solvam. Nicol. d. lib. 3. tit. 15. num. 15.

3. Quer. Quæ, & quotuplex sit hæc exceptio? Resp. Est quadruplex.

Prima est exceptio temporis, ut si debeam tibi centum, sed tantummodo post annum, nam possum recusare solutionem; sed si solvero ante tempus, non datur repetitio. l. in diem 10. ff. de Cond. indeb.

Secunda est exceptio perpetua, quæ, si est favorabilis, ut Senatus Consultum Vellejani, per quod mulier fidejubendo non obligatur; & si per errorem solvat, potest repetere. Quod si sit odiosa, nempe S. C. Macedoniani, per quod filius familias mutuum accipiens non tenetur; si solvat, repeti non potest. l. Qui exceptionem 40. ff. de Cond. debiti.

Tertia est exceptio dubia, ut si debeam sub conditione; nam si ante conditionem solvero, possum repetere, secus si conditio supervenerit. l. Sub conditione. ff. eod.

Quarta est exceptio Epistolæ Divi Adriani, per quam, si plures sint fidejussores unius debitoris, nemo tenetur, nisi pro sua portione; at si unus totum solverit, non potest repetere à creditore, cui solvit, sed à confidejssoribus suis. Item qui à jure habet privilegium, ne conveniatur ultra id, quod facere potest, ut maritus pro dote, donator pro donatione, Sacerdos, aut Doctor pro quocunque debito. At, si hi totum solverint per errorem, repetere non possunt. l. Quod nostra 8. ff. de Cond. indeb. Nicol. l. d. lib. 3. tit. 15. num. 15.

4. Quer. Ad quid teneatur, qui recepit indebitum? Resp. Si à sponte offerente recepit, tenetur conditione indebiti ad restitutionem: si verò simulavit se creditorem, & exegit instanti, & urgendo, tenetur furti. Bart. in l. Falsus 53. ff. de Furtis. Nicolius d. lib. 3. tit. 15. num. 17.

CAPUT LXXXV.

De Stipulatione.

1. Quer. Quid sit Stipulatio? Resp. Est contractus juris civilis nominatus, & stricti juris, ad cujus substantiam, ultra consensum, requiritur quædam verborum solemnitas, ut scilicet interrogatio præcedat, & sequatur responsio. l. 1. ff. de Verb. Oblig. Nicol. tom. 1. lib. 3. tit. 16. num. 1.

2. Quer. Quæ requirantur ad Stipulationem? Resp. Novem requiri. 1. Consensus. l. 1. §. 3. ff. de Pactis. 2. Ut præcedat interrogatio, & sequatur responsio d. l. 1. ff. de Verb. Oblig. 3. Ut uterque contrahentium loquatur; ob id mutus, & infans stipulari non potest. l. 1. §. Si quis, ff. eod. 4. Ut partes se audiant, & intelligant, vel

per se, vel per interpretem, ut si unus loquatur Græcè, alter Latine. d. l. 1. §. Ut responsio fiat incontinenti, aut post modicum intervallum. d. lib. 1. 6. Ut responsio sit conformis interrogationi. d. lib. 1. §. Si quis simpliciter. 7. Ut fiat inter præsentem. §. Item verborum. Inst. de Instilib. Stipul. 8. Ut stipulatio contineat aliquid fieri, vel dari. l. 2. ff. eod. 9. Ut quis promittat factum suum, non alienum. l. Stipulatio ista 38. ff. de Verb. Obligat. Ita Nicol. d. tit. 16. num. 3.

3. Quer. An ad validitatem Stipulationis sit necessaria scriptura? Resp. Negative; sed solum ad majorem probationem, l. 1. C. de Usuris.

4. Quer. Quot modis fieri possit Stipulatio? Resp. Tribus modis, nempe pura, in diem, & sub conditione. §. Omnis stipulatio. Inst. de Verb. Oblig.

5. Quer. An debitor, adveniente die solutionis, statim sit adstringendus ad illam? Resp. Posse concedi aliquem terminum Judicis arbitrio, quia nemo debet stare cum sacco paratus. l. Quod dicimus 105. ff. de Solution. Decius in l. In omnib. ff. de Reg. Jur.

6. Quer. An sint termini assignati à jure ad solvendum? Resp. Tres esse terminos. Primus decem dierum simplici Promissori. l. Promissor. 21. §. 1. ff. de Constit. pecunia. Secundus unius anni in restitutione dotis. l. 1. §. Cum autem, de rei uxor. act. Tertius quatuor mensium ad solvendum id, in quo quis fuit per sententiam condemnatus. l. ult. §. fin. C. de Usur. rei jud. sed hic terminus ex justa causa potest à Judice vel prologari, vel coarctari. cap. Quod ad consultationem 15. de Sent. & re judic.

7. Quer. Si quis promississet mihi,olvere centum Anno 1697. quando possum ea petere? Resp. Prima die Anni 1698. quia totus annus 1697. est ad favorem debitoris. l. Eum qui certum 138. ff. de Verb. Obligat. Nisi forte promissio esset ad piam causam, quia statim solvi debet. Tiraquell. de Privileg. Pie cause, Privileg. 22. At si annua sit solutio facienda; puta promittis mihi decemolvere singulis annis, donec vivam? In hoc casu debentur semper in principio uniuscujusque anni. §. At si ita. Inst. de Verb. Obligat. Unde versus memorix tenendi:

Anno si debes, in fine teneberis anni.

Annua si debes, tunc inspicias caput anni.

8. Quer. An Vidua possit consequi legatum relictum ei à marito sub hac conditione, si non nupserit? Resp. Affirmative, sed præstita cautione, quæ Mutiana appellatur, de non nubendo. Auth. Cui relictum. C. de Ind. vid. toll. Rota coram Ludov. decif. 187.

9. Quer. Cum sæpè in stipulationibus partes teneantur ad interesse; quotuplex sit interesse? Resp. Interesse est triplex, Conventum, Commune, & Singulare. Interesse conventum est, quod inter partes à principio taxatum, & conventum est; quod propriè poena dicitur. Commune est, quod ab omnibus communiter æstimatur. l. Pretia rerum 63. ff. ad Leg. Falcidiam. Singulare est, quoties una res plus valet uni personæ, quam

124 **Erotem, Ecclef. Cap. LXXXVI, De Affecuratione.**

quàm aliis omnibus propter certam illis rei qualitatem; & hoc interesse fingulare est duplex: Unum simplicis actionis, ut si quis habeat collare donatum ab Amasia, quod valet unum Julium, sed æstimatur ab habente respectu illius, quæ dedit, centum Julios; & in hoc casu attenditur valor verus rei, non æstimationis domini. *l. Pretia rerum. & l. Si servum 33 ff. ad Leg. Aquil.* Aliud est interesse actionis ob utilitatem, ut libet proprio calamo scriptus valeret decem Julios, sed ob diligentiam, laborem, & studium Auctoris, qui scripsit, eum æstimat centum Julios, & in hoc casu augetur æstimationis interessis communis ad duplum. *Nicol. d. lib. 3. tit. 16. num. 26.*

10. *Quer.* Quomodo probetur interesse à petente? *Resp.* Si petat interesse ratione delicti, aut agit contra delinquentem, & statur juramento petentis; & sic, si quis agat contra furem, qui furatus est ei crumenam; aut contra cauponem, cui fuit consignata Valisia clausa, & eam restituit apertam; statur juramento petentis circa summam pecuniæ, quæ erat in bursa, aut rerum, quæ erant in Valisia. Aut agit contra alios, qui tenebantur impedire delictum; & tunc oportet probare concludenter summam interessis. *l. Aliquando 9. C. Unde vi, & cap. fin. de his, quæ vi.* Porro Menochius docet, in his habere locum arbitrium Judicis circa modum probationis, attentis circumstantiis. *De Arbitrar. Jud. cas. 120.*

11. *Quer.* An sint casus, in quibus valeat Promissio, & Stipulatio de facto alieno? *Resp.* Esse septem casus. 1. Quando talis promissio facta est sub pœna. 2. Si promittat, quis factum sui hæredis. 3. Si promittat, quod nemo inquietabit emptorem fundi. 4. In stipulationibus Prætoris, quando quis spondet, vel quod reus se præsentabit ad carceres, vel stabit Judicio. 5. Quando promissit factum alterius cum Juramento. 6. Quando promissit aliquid faciendum ab alio, quod ipse erat factururus. Et 7. quando promittit expresse se curaturum, ut alter faciat; & in hoc casu, dum fecit, quantum potuit, liberatur, nisi sit pœna adjecta; nam eam solvere tenetur. *S. Versa Vice. Inst. de Inutilib. Stipulat. Nicol. ibid. dist. lib. 3. tit. 20. num. 4.*

CAPUT LXXXVI.

De Affecuratione.

1. *Quer.* Quis, & qualis contractus sit Affecuratio? *Resp.* Est contractus, quo quis ob pretium, vel aliud interesse suscipit in se periculum rei alienæ in totum, vel in partem; obligando se ad reddendam illius æstimationem, si res tota perierit; vel ad restitutionem partis, juxta conventionem factam. *Nicol. tom. 1. lib. 3. tit. 21. num. 19.*

2. *Quer.* Quæ requirantur ad Justitiam hujus contractus Affecurationis? *Resp.* Triarequiruntur. *Primum*, Justum pretium. *Secundum*, Admonitio de veris periculis. *Ter-*

tium, quod re vera res affecurata existat in periculo. *Nicol. ubi supra ubi Bonac. punct. 3. de contract. disp. 3. qu. 9. tom. 2.*

3. *Quer.* An Affecurans teneatur ad damnum, si tempore initæ Affecurationis, dominus rei sciebat, jam illam periisse? *Resp.* Negative, quia res non erat amplius in periculo. *Rota coram Ludovis. decis. 126.*

4. *Quer.* Quale dicatur justum pretium in Affecuratione? *Resp.* Illud dici pretium justum, quod est taxatum à lege, vel à communi hominum æstimatione, consideratis periculis, quantitate, & qualitate rei. Ideo majus pretium accipi potest in Affecuratione navis ob majus periculum naufragii, quàm in Affecuratione capitalis in mercatura. *Bonacin. ubi supra num. 3.*

5. *Quer.* An liceat obligare mutuatarium ad Affecurationem pecuniæ mutuatæ, & in mercaturam expentæ? *Resp.* Negative, quia Affecuratio debet esse voluntaria, non necessaria; alias committitur usura. *cap. Naviganti, de Usuris, Navarr. in Manual. cap. 17. num. 283.*

6. *Quer.* An possit Affecurationem inire ille, qui per Astrologiam scit hoc tempore non esse futuras tempestates in mari: vel per litteras amicorum certus factus est, mare esse expurgatum à Piratis; eodem pretio, quo faciunt alii, qui talem cognitionem non habent? *Resp.* Affirmative, quia ejus scientia non debet illi obesse. *Lessius, & Azorius apud Bonacin. ubi supra.* Sed contrarium tenet ipse Bonacina; quia, ait: Affecuratio est contractus Sortis, & qui certus est de eventu, non se exponit periculo, & non innititur sorti.

7. *Quer.* An possit Affecuratio fieri de vita hominis? *Resp.* Affirmative: & ideo, si ego mutuavi centum Titio per quinquennium; possum inire Affecurationem cum alio; ita, ut si Titius vivat, ego solvam Affecuratori quinque, aut decem pro centenario annuatim. At si moriatur; ille solvat mihi vel partem illius mutui, vel totum, juxta conventionem. *Bonac. ubi supra num. 6.*

CAPUT LXXXVII.

De Promissione cum obligatione in forma Cameræ.

1. *Quer.* Quid sit Promissio in forma Cameræ, seu cum obligatione Camerali? *Resp.* Est obligatio, quam aliquis assumit ex quocunque legitimo contractu; sed cum quadam formula verborum, composita ex multis juridicis cautionibus, juxta diuturnum Romanæ Curie usum; vigore cujus formulæ debitores facilius per Judicem cogi possunt ad complenda promissa. *Nicol. d. lib. 3. tit. 14. num. 33. ubi exemplum, & formulam Obligationis Cameralis ponit per extensum.*

2. *Quer.* Qualis sit clausula principalis hujus obligationis Cameralis? *Resp.* Quod promittens se obligare censetur sub juramento, ex quo creditor habet executionem paratam;